

HEINRICVS V. IMPERATOR.



**H**einricus quintus (cognomento iunior dicitus) dux Frâconiæ, filius fuit Heinrici quarti Cæsarî, & Berthæ Marchionissæ Italîæ. Hic in adolescētia optimē educatus, atq; literis & armis institutus est. Vir uero factus natura erat bellicosissimus & audax, qui breui sibi totum Imperium subiecit, ac omnibus iugum imposuit. Cum autē Heinricus pater pontificum iniuria anathemate notatus, atq; eius subditi iuramento soluti essent, filius quoq; Episcoporum impulsu & suasu cum alijs principib; eū persecutus est. Omnes enim Germaniæ principes (duce Magno Saxone excepto, qui ob aduersam ualetudinem adesse nequiverat) Moguntiæ conuentum agentes, Heinrico patri persuaserant, ut ad cauendum tumultum, quo périlitari posset, filio regalia Imperij, crucem, lanceam, sceptrum, & coronam traderet. Id quod & fecit. Vnde is ibidem rex electus, ac ab Apostolicis legatis per manuum impositionem confirmatus est.